



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Personas gerendi gratia in dramate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

ximus, confessione, sacram Eucharistiam  
 sumpsit è manibus eiusdem Religiosi sui Mo-  
 deratoris, qui Ioannem in eâ sanctissimi epu-  
 li sumptione affirmat adhibuisse interiorem  
 quamdam animi collectionem, externam-  
 que compositionem planè singularem, atque  
 etiam spirasse quid nescio maius augustius-  
 que humano. Et iam inde cœpit continenter  
 expiare sese octonis quibusque diebus; quin-  
 denis autem, festisque Christi ac Virginis  
 Matris, animum præterea cælesti pabulo re-  
 creare. Illud etiam constanter tenebat, vt  
 quoties Communione reficeret sese, prius Su-  
 periores suum culparum veniam oraret,  
 quotidieque temporis aliquid impenderet  
 confessioni proximè instituendæ. Enitebat in  
 puerili illâ ætate senilis quædam maturitas  
 actionum, puero ferè immatura: tantaque  
 erat sermonis parcitas, vt non nisi interroga-  
 tus responderet, ac tum quoque præfinitò.  
 Præbitione dramaticâ, quâ Susannæ castitas  
 edebatur, Ioannes Daniele venustissimâ  
 concinnitate gessit; aliasque sæpè magno  
 Auditorum plausu atque admiratione reci-  
 tavit. Pacem colebat tam sanctè, vt num-  
 quam cum aliquo contendere sit auditus: si  
 verò quâ in domo ( vt solet leuior pluma  
 apud pueros esse gratia ) sodales suos audisset  
 cum aliquo rixam simultatémve suscepisse,

*Prima Cõ-  
 munitio quã-  
 tã ab eo cu-  
 rã sensuq;  
 pietatis  
 obita.*

*Consuetu-  
 do frequen-  
 tius confi-  
 tendi &  
 communi-  
 candi.*

*Maturitas  
 puero ferè  
 immatura.*

*Personas  
 geredi gra-  
 tia in Dra-  
 mate.*

*Amator  
 pacis.*